Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Boston Public Library

https://archive.org/details/decaedenefariahe00clav

DE CÆDE NEFARIA HENRICI MAGNI REGIS GALLIARVM ET NAVARRÆ INVICTISSIMI.

Carmen ex poëta veteri a St. Cl. deductum.

PARISIIS,
Apud IOANNEM LIBERT, via D. Ioan. Lateranenſis, propè Collegium Cameracenſe.

M. DC. X.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΣΤ. ΚΛΑΒΗΡΙΟΝ.

Πένθει ἐν δήμου ἐρεθίζεις, φίλτατε, Μούσας·
Δήμῳ καὶ Μούσαις ἥνδανεν ᾆσμα τεόν.

Ι. Τουρνέβιος.

APOSTROPHE
AD
HENRICVM MAGNVM GALLIARVM REGEM, DE VERSIBVS NICOLAI BORBONII.

DIuus vt è viuo fieres, ô maximè Regũ,
Imis & Superis mutua cura fuit.
Hinc patet Elyſiæ florens tibi ſemita vallis,
Inde parat cælo linea lactis iter:
Vtque tibi denſo reſerat ſe lumine ramus,
Ecce tuos aditus ſtella ſerena manet;
Nec Iouis vnîus formidine quæritur hoſpes,
Quippe fauet meritis vtraque Iuno tuis.
Te propter geminum findit Cyllenius axem,
Mobilis, oppoſitas itque reditque vias:
Cærula per nubes haud ſeciùs euolat Iris,
Inque deis metus eſt, inque deabus amor.
Sic tibi venturo mundi compago laborat,
Vt natura ſuas deſit obire vices;
Signa tuæ laudis ſic & nouus explicat Orpheùs,
Omnibus vt terris, omnibus extet aquis.

Non fuit Alcidæ tanti poſt funera virtus,
Vt neque viuentis gloria maior erat.
At tua iungenti, Princeps, ad lilia palmas
Eſt mihi non lætâ viſa cupreſſus aui:
Tum mihi, ſi qua fuit, languet diuiſa voluptas,
It difflata quies, & noua plaga ſubit.
Nec iam vena fluit ſolitis argentea riuis,
Statque mihi vero nunc elegîa ſono.
Adde quod inſignes me præuenere poëtæ,
Dum vitio curti fit mora lenta pedis.
Scilicet heroos apices, fandique nitelas
Ordiar, intacti poſt graue Vatis opus;
Scilicet hoc aliquis mihi cedat in æquore puluis,
Vicináque mihi luce petatur honos:
Non ea vis animo; tales encomia Diræ
Cuncta premunt; fucos dædala vincit apis.
Et tamen auſus eram proſâ ſignare tabellam,
Quæ gemeret prelis, & foret apta legi;
Sed perijt votum: nec enim benè tingitur vndis
Palmula, ſubductæ margine tuta ratis.
Siqua meos ergo numeros iunctura ſequetur,
Non mea, ſed Pharij pagina vatis erit.

St. Claverivs.

DE NEFARIA CÆDE HENRICI IIII. PRINCIPVM MAXIMI

Carmen è veteri poëta expreſſum.

INdigenas referã clades; heu vulnera magni
Principis, & ſæclis non agnoſcenda futuris!
Horret adhuc animus, nec vox aut lingua dolori
Sufficit, ac tali metuit ſe credere voto,
Nec meus ibit honos. ipſæ vos dicite muſæ,
Scitis enim, quo tanta lues eruperit ortu.
Inuidiæ quondam ſtimulis incanduit atrox
Alecto, placidas latè cum cerneret vrbes.
Protinùs infernas ad limina tætra ſorores,
Concilium deforme vocat. glomerantur in vnum
Innumeræ peſtes, complentque ſedilia diræ.
Illa autem ſtetit in medijs, vulguſque tacere
Iuſſit, & obſtantes in tergum reppulit angues;
Perque humeros errare dedit, dum corde ſub imo
Incluſam rabidis patefecit vocibus iram:
Siccine tranquillo produci ſæcula curſu?
Sic fortunatas patiemur viuere gentes?

Quæ noua corrupit noſtros clementia mores?
Quo rabies innata perit? quid inania proſunt
Verbera? quid facibus nequicquam cingimur atris?
Heu, nimis ignauæ, quas cælo Iuppiter arcet,
Rex hominum terris. en aùrea naſcitur ætas,
Et prolès antiqua redit: concordia, virtus,
Cumque fide pietas alta ceruice vagantur,
Inſignemque canunt noſtra de plebe triumphum.
Proh dolor! ipſa mihi liquidas delapſa per auras
Iuſtitia inſultat, vitijſque à ſtirpe reciſis
Elicit oppreſſas tenebroſo è carcere leges.
At nos indecores longo torpebimus æuo,
Omnibus eiectæ regnis. agnoſcite tandem
Quid Furias deceat; conſuetas ſumite vires.
Signa quidem, ô ſociæ, diuos attollere contra
Nec fas eſt, nec poſſe reor, ſed lædere mundum
Si libet & populis commune intendere letum;
Eſt mihi Prodigium cunctis immanius hydris,
Acrius harpyijs, refluis incertius vndis:
Me tradente dolos, geſtus, artemque nocendi
Edidicit ſimulare fidem, ſenſuſque minaces
Protegere, & blando fraudem prætexere riſu.
Quinetiam vinci fateor, rapidoque magiſtram
Præuenit ingenio; nec plus ſermone morabor;
Solus habet ſcelerum quicquid poſſedimus omnes.
Hunc ego, ſi veſtræ res eſt accommoda turbæ,
Regalem ad Franci deducam principis aulam:
Sit licet ille ferox animis, ſit denique mauors,

Cedet, & inſidijs noſtri perdetur alumni.
Orantem ſequitur clamor, cunctæque profanas
Porrexere manus, inuentáque triſtia laudant.
Eſt locus extremum pandit quà Gallia littus
Oceani vicinus aquis, vbi ſigna coloni
Pallida, defunctáſque vident migrare figuras:
Hinc dea proſiluit, Phœbíque, egreſſa, ſerenos
Infecit radios, vlulatúque æthera rupit
Terrifico: ſenſit ferale Lutetia murmur,
Et Senonum quatit arua fragor; ſtetit vnda Moſellæ,
Debilis, & Rhenus proiectâ torpuit vrnâ.
Tum ſulcata genas, & ficto languida paſſu,
Engoliſma tuos intrat ſine nomine muros,
Tecta petens funeſta viri; dein talia fatur.
Otia te quid longa iuuant, fruſtráque iuuentæ
Conſumis florem patrijs inglorius aruis?
Heu, neſcis quid fata tibi, quid ſidera donent.
Ille animi victus; ſequimur quocunque vocaris
Femina tu, ſeu numen ait; patriáque relicta
Sequanicas Furiæ ductu peruênit ad arces.
Vt longum permenſus iter, ductúſque maligno
Stamine fatorum claram ſubrepſit in aulam,
Inceſtus flagrauit amor, cædíſque cupido
Hæſit, & arcano ſtimulauit corda furore,
Dilato mucrone tumens: iurata deorum
Maieſtas teritur; nulla eſt reuerentia fandi;
Stat magnum violare Ducem; nec flectitur annis,
Nec virtute labat; miſeros vnóque ſub ictu

Non metuit ciues, totamque euertere gentem.
Mens abit, atque mihi non ſum pereunte ſuperſtes
Principe. quis prodat funus tam triſte relatu?
Imperium tanto quæſitum ſanguine, tanto
Seruatum, quod mille ducum peperere labores,
Proditor vnus iners anguſto tempore vertit.
O mites Diomedis equi, Buſiridis aræ
Clementes; iam Cinna pius, iam Spartace lenis
Huic monſtro collatus eris. Deiecerat ipſum
Incepto regale decus, diuináque vultus
Gratia; iam pœnæ ſteterat formidine votum;
Sed redit in rabiem, ſcelerumque immane reſumit
Ingenium, peiorque ſedet ſententia menti:
Sæuit, & immani ſpirat crudeliùs vrſa.
Iuppiter, heu, noſtris nondum ſatiate ruinis,
Si iuuat hoc Regnum penitùs de ſtirpe reuelli,
Si piget humani generis; prorumpat in arua
Libertas effrena maris, vel limite nullo
Deuius errantes Phaëthon confundat habenas.
Quid per tale nefas geritur? procumbere mundum
Hoc auctore pudet; tandem ſine, Francia reges
Quos dederis ſeruet; feriant ſua tela rebelles.
Rarus apud Medos regum cruor, vnáque cuncto
Pœna manet generi. ſed quid non ruperit audax
Ambitus, inque pia latitans ferrugine cuſpis?
Scilicet, hoc aliquis magicas delapſus ad artes
Inſtruxit facinus; dum læuà gementibus vmbris
Subluſtri in nebula premit interlunia phœbes,

Et trahit

Et trahit herboſâ nudum tellure cadauer,
Inque recentem animam fundit penetrabile virus.
Heu, quantum rapuit manus hæc inuiſa triumphum:
Siſtit equos, tardátque tubas, atque agmina Regis
Admiranda polo. nunquam ditione ſub vna
Tot coiêre manus, nec tot diſcrimina vocum.
Illic indomitæ frameis ardentibus alæ
Conſtiterant, iungi voluit ſua ſigna Britannus
Regulus, arma fremens, patriæ virtutis imago.
Cimbri aderant, Batauique truces vel mente vel ipſis
Fœderis obſequijs, acuit ſua gæſa Sicamber,
Inde agiles flauo volitabant crine manipli
Quos ferus arctoïs Boreas emiſit ab oris,
Atque Saui tellus, & ripa binominis Iſtri.
Haud aliter Xerxem, toto ſimul orbe, ſecutus
Narratur rapuiſſe vagos exercitus amnes,
Et telis vmbraſſe diem, cùm claſſibus iret
Per ſcopulos, ſtratumque pedes contemneret æquor.
Ipſe habilem frenis vel primus in ordine pugnæ
Henricus pepuliſſet equum, valleſque profundas
Stragibus æquaſſet, galeas hoſtilibus armis
Atque peremptorum ſparſiſſet baltea regum.
Non ita Fortunæ viſum eſt: Inamabile noſtro
Obijcit Alcidæ monſtrum, quo Gallicus axis
Intremat, & penitùs rerum natura vacillet:
Quíque tot ærumnas, & tot portenta ſubegit
Sic perit vt noſtro maneat vindicta dolori,
Triſtis, & ingenti non reſponſura ruinæ.

Mira loquar, noſtris ſed vera nepotibus edam:
Hi laniant aures, & adhuc ſpirantia vellunt
Lumina, truncatos alij rapuere lacertos.
Amputat ille pedes, humerum quatit ille ſolutis
Nexibus, hic fracti reſerat curuamina dorſi;
Hic iecur, hic cordis fibras, hic pandit anheli
Pulmonis latebras. ſpacium non inuenit ira.
Quid tamen, heu, prodeſt veſtigia ſanguine tingi,
Fœdatúmque caput toties elidere ſaxis?
Criminibúsne tuis ſperas, Fortuna, mederi,
Et malè donatum certas æquare fauorem
Supplicijs? tali Regem tu morte rependis?
Turbatis agedum portentum diuide terris;
Da partem Heſperijs, partem mereantur Eoi,
Quià reliquis dabitur? nec ſingula membra remotis
Sufficient populis, quos hæc iactura laceſsit.
Senſerunt conuexa necem, telluſque nefandum
Emolitur onus, iam reſpirantibus aſtris,
Infernos grauat vmbra lacus; pater Æacus horret.
Hic quoque dum lites Stygijque negotia ſoluit
Dura fori, vetereſque reos ex ordine quærit,
Monſtrum ingens procul ecce notat, viſuque ſeuero
Luſtrat, & ex imo concuſsà ſede profatur:
Huc *patriæ labes, huc exitiabilis orbi*
Proluuies, magni percuſſor & impie Regis:
Quid demens manifeſta negas? en pectus inuſtæ
Deformant maculæ, vitijſque inoleuit imago,
Nec ſeſe commiſſa tegunt. genus omne dolorum

In te ferre libet. dubio tibi pendula rupes
Immineat lapſu, volucer te torqueat axis,
Te refugi fallant latices, atque ore natanti
Areſcat decepta ſitis, dapibuſque relictis
In tua manſurus migret præcordia vultur:
Quanquam omnes alij, quos hæc tormenta fatigant
Pars quota ſunt, ſcelerate, tui? nam cuncta reatu
Vincis ſupplicia, & noſtris tu dedecus vmbris.
I, fuge trans Erebum, vacuo ſuccede barathro
Infra Titanum tenebras, quà Ditis opaci
Fundamenta latent, longumque ibi merſus anhela.

ANAGRAMMATA.

HENRICVS BORBONIVS.
Nunc ibo orbis herus.
MARIA MEDICEA.
Mera Dei amica.

IN POEMA NOBILE ANNÆ ROHANNÆ Virginis Illuſtriſſimæ, de HENRICI Magni Regis Galliarum obitu.

ALma ſoror Didûs, liquidi iam nympha NumicI,
Sorte ſui Latiam nominis implet humum;
Vtque fuit prudens, & nubilis inſcia tedæ,
Sic vicit comites vocis honore ſuas.
Hinc niueo ſe rore fouet, viridiſque iuuentâ
Dicit, vt æternum viuat adepta decus.
Talis es, ô Nymphe; noſtri tu gloria ſæcli;
Tu premis Æoliæ fila canora lyræ:
Te Proba non æquat ſtudijs confiſa mariti,
Et tibi cum totâ cedit Ianthis aquâ;
Inque tuos violæ ſpirant & balſama cultus,
Et roſa quæ labris æmula viſa tuis.
Mens ſecura nitet, minimâ nec labe receptâ
Splendet vt in vitreo candida luna mari.
Si mutare ſonum liceat cognominis alti,
Si, Caſmilla priùs, dicta Camilla fuit:
Nunc quoque, Virgo decens, tantæ tibi conſcia famæ,
Anna Pereuna mihi, ſiue Perennis eris.

ST. CLAVERIVS.